



DISPUTATIO
DE
HÆMORRHAGIA
NARIUM.

*Solemniter in Universitate Argentinenſium
propoſita*

à

MELCHIORE SEBIZIO,
MEDICINAE DOCTORE AC PRO-
FESSORE ORDINARIO, COMITE
Palatino Cæſareo, & Reipubl.
Archiatro:

Reſpondente

JOHANNE DANIELE WILVISHEIMIO,
ARGENTORATENSI.

Die Mens. Decembr. 13.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI.

M. DC. XLIX.



VIRO

CLARISSIMO ET EXPERIENTISSIMO,

DN. JOHANNI JACOBO

SIGLERO, Medicinæ Doctori eximio,
Practico apud Argentoratenses felicissimo:

NEC NON

VIRO

REVERENDA DIGNITATE ORNATISSIMO,

DN. M. PHILIPPO FIEGLER

RO, Summi Templi Argentoratensium
Diacono fidelissimo, meritissimo:

*Dominis Patronis & Promotoribus suis debita
animi submissione perpetuò colendis,*

Disputationem hanc de Hæmorrhagia narium,
in sui studiorumque suorum commen-
dationem

offert & consecrat

JOH. DANIEL WILVISHEIM,
Respondens.



THESIS I.



Venadmodum aliorum sensuum organa suos patiuntur affectus, morbos scilicet ac symptomata, ita & olfactus sensorium, ipse nimirum Nasus, non paucis morbis & symptomatibus divexatur.

II. Inter symptomata autem illius haud postremum locum HAEMORRHAGIA obtinet. Frequenter enim in praxi nobis occurrit, & adeo nonnunquam enormis est & impetuosa, ut aegre admodum sustineatur, & propterea laborantem non raro ob spirituum dissipationem, caloris diminutionem, ac sanguinis, qui commune est totius corporis alimentum, effluxum, in vitam discrimen adducat.

III. Schenckius lib. 1. observat. 359. aliquot prodigiosarum haemorrhagiarum historias ex Matthæo de Gradibus, Bravolo, Marcello Donato, & Amato Lusitano recenset, quibus planum facit, sanguinis libras 18 20. & 40. intra spatium unius, quinque, & sex dierum à naribus erupisse.

IV. Itaque digna nobis visa est haemorrhagia, cujus & ὀσφία, & πρᾶξις explicetur. Ac in illa quidem nomenclaturæ, significata, definitio, genus, pars affecta, differentia, causæ, signa, tum διαγνωστικά, tum προγνωστικά declarentur. In hac verò curandi ratio proponatur.

V. SIGNIFICATA haemorrhagiae quod attinet, habet vocabulum istud numero tria. Primum enim omne sanguinis profluvium denotat, sive confertim & copiosè, sive parè ex venis, aut arteriis, interiorum, vel exteriorum partium fiat. Fluere autem spontè, & quidem frequentius, quàm aliunde, solet, ex

ore, naribus, thorace, pulmone, ventriculo, hepate, liene intesti-
nis, venis hamorrhoidalibus, utero, vasisque urinarius.

VI. Deinde id solummodo profluvium sonat, quod fit af-
fatim, ἀπὸ τῆς παύειναι, ἢ παύειν, quod est apud Hippocratem
ἀθρόως ὀρεῖν, cum impetu prodire. Παύεισα enim, inquit Gale-
nus in explanatione vocum Hippocraticarum id indigitat, quod
conferunt impetum facit: estque ἀπορροαία dictio ab ea com-
posita.

VII. Tertiò pro illo sanguinis profluvio usurpatur, quod
e naribus contingere solet. Est igitur prima significatio genera-
lissima: specialior secunda: specialissima tertia.

VIII. Hippocrates hamorrhagia vocabulum aliquando
ponit simpliciter, sine additione partis, unde sanguis emanat: &
tüm eruptionem sanguinis e naribus inaudit. Accommodare au-
tem videtur ἀπορροαίας nomen narium profluvio καὶ ἐξοχῆν,
I. quia utriusque sexui, omnibusque aetatibus, in & extra morbos,
accidere solet. II. quia cetera sanguinis profluvia peculiaribus
nomenclaturis sunt insignita, quae vel à termino, unde prodeunt,
vel à loco, per quem feruntur, vel à tempore, quo fiunt, petun-
tur. Unde καλαμῆνεια, γυναικῆια, λόχεια, δυσεντερία, αἱματώδεις,
αἱμορροαίαι, & ῥήσιαι αἱματώδεις &c. appellantur. Interdum verò
nares addit. Quando verò de sanguinis profusione ex aliis
partibus verba facit, illarum ut plurimum meminit, & unde
sanguis prodeat, exponit. Sic enim Galenus comm. 1. in
libr. 1. epid. §. 9. & comm. 3. in l. 6. epid. §. 25. monet.

IX. Neque hoc aliquid novi est, cum sciamus, etiam alia
vocabula plurima, quae generalia sunt, specialiter usurpari: quem-
admodum pleuritidis, peripneumonia, hepatitidis, splenitidis, ne-
phritidis, arthritidis &c. exemplo probari potest. Significant enim
voces istae quemlibet pleurae, pulmonum, hepatis, splenis, articulo-
rum renumque affectum: usus tamen, quem penes & jus est, &
lex, & norma loquendi, ut Horatij verbis utamur, obtinuit, ut
in specie solum dictarum partium inflammationes exprimant.

Quam-

Quamvis haud nos lateat, nephritidem communiter etiam calculum renum, & arthritidem articulorum dolorem sonare.

X. Hippocrates affectum nostrum in Coacis, prognosticis & prorrheticis etiam αἷμα ἔκρουεν ἐκ πινέων ῥήξιν αἷμα ἔκρουεν διὰ πινέων, ῥύσιν ἐκ μυκλήρων, & κατὰ τὰς πίνας, & αἱμορροίην διαλέκτο jonica appellat.

XI. Est autem haemorrhagia, ut ad DEFINITIONEM accedamus, sanguinis profluvium confertim è naribus, criticè, vel symptomaticè factum. Vnde Author. defin. medicin. scribit, αἱμορροαγίαν εἶναι λάβρον αἷμα ἔκρουεν, esse abundantem, imperuosam, rapidamque sanguinis effusionem: hocque nomine ab haemorrhoidè differre, quae est κατὰ περιτῆδην, & κατ' ὀλίγον αἷμα ἔκρουεν. Φορὰ, sanguinis delatio per dissultationem ac paulatim facta: quanquam praxis doceat, per venas haemorrhoidales nonnunquam etiam magnam sanguinis copiam emanare.

XII. Ex hac definitione constat, haemorrhagiam symptoma esse in genere immodicè excretorum. Sequitur autem vel symptoma aliud, nempe retentricis facultatis imbecillitatem, aut expultricis lacepsita indignationem: vel solutam in vasis continuitatem: vel ipsemet sanguis sua quantitate, aut qualitate in causa est, uti mox dicemus.

XIII. Hic autem quæri solet, qualisnam sit excretio ista? *istis.*
Et plerique omnes respondent, excretionem esse toto genere præter naturam. Galenus enim lib. de vivor. anat. c. 1. l. de cur. rat. per S. M. c. 5. Comment. 3. aphor. 64. & l. 6. de loc. affect. c. 4. scribit, sanguinem esse vitæ thesaurum, naturæ dilectum filium, commune corporis nostri pabulum, fomentam nativi caloris, succumque nobis valdè amicum, imò eorum omnium, quæ in corpore nostro sunt, maximè nobis familiarem. Ideoque illum sibi reservare quàm maximè studet. Quodsi erumpat, non immeritò evacuationem toto genere præter naturam esse credendum: quoniam id excernitur, quod est naturalissimum, quodque in corpore manere debet.

XIV. Nos distinctè respondendum esse arbitramur. Symptomaticum enim sanguinis fluxum excretionem præter naturam esse putamus, & ratione temporis, si fiat statim in principio acutorum morborum, & ratione materiae effluentis: criticum verò nequaquam talem excretionem statuimus: quoniam fieri solet ex propria natura intentione, conantis se liberare ab eo onere, quo veluti gravi sarcina premebatur. At quod studio & opera Natura fit, quomodo toto genere præter naturam dici potest?

XV. Sive ergò sanguinis abundantia in sanis, sive superfluus ac vitiosus sanguis in agris Natura instinctu excernatur, talis sanè excretio naturalis & critica, nequaquam toto genere præter naturam vocari meretur.

XVI. At si symptomaticè in principio statim morborum, nullis prægressis signis concoctionis, nullo cum levamine decumbentis, neque in die aliquo decretorio sanguis evacuetur, haud immeritò vacuatio toto genere præter naturam censetur: præsertim cum non sanguis, sed humor alius, agritudini occasionem & ansam præbuit. Excernitur enim, quod causa morbi non est, quodque manere in corpore debet.

XVII. Obijcies, sanguinem naturalissimum quid esse. Quis ergo illius excretio non possit toto genere præter naturam nominari? Respondemus, naturalissimum quid esse, & Natura familiarissimum, si neque in quantitate, neque in qualitate peccet. At si nimius sit in quantitate, aut in qualitate vitiosus, tantum abesse, ut Natura familiarissimus sit, ut etiam eidem planè adversetur. Nimius enim venarum rapturam, suffocationem nativi caloris, inflammationes viscerum, apoplexiam, aliosque periculosos ac lethales affectus minatur: vitiosus autem & putridus putridas febres, ac cum primis πυρόχως, ulcera, scabiem, mala alia generare solet: quemadmodum Galenus multis in locis suorum monumentorum docet.

XVIII. PARS AFFECTA nares sunt, quatenus per eas fluxus fit sanguineus. Afficiuntur autem nares vel per essentiam,

sentiam, quando vasa illarum aperiuntur, rumpuntur, vulnerantur, eroduntur, contunduntur, aut ita rarefiunt, ut tenuior sanguis per illas quasi transcolari, & veluti sudor transmitti possit. Vel per consensum, cum vena & arteria partium aliarum, ac potissimum cerebri ejusque meningum, in nares se exonerant.

XIX. DIFFERENTIAE petuntur à forma, loco, vasis, causis, modo generationis, quantitate, duratione &c.

XX. Ratione formæ alia hæmorrhagia est critica, quando natura die critico, prægressis signis *πρωσπῆς*, in febribus acutis & ardentibus, phrenitide, cephalalgia sanguinea, aut à vaporibus acris & fervidis excitata, angina, interiorum viscerum inflammationibus, cum *ἐπιφῶρα* egrotantis sanguinem per nares excernit: sicut aliàs illum per venas uterinas in mulieribus, & per hæmorrhoidas in viris eicere solet. Alia symptomatica, quæ vi morbi, seu causæ morbificæ, Naturam copia gravantis, aut qualitate morbosa stimulantis & irritantis, in principio statim egritudinis, nulla cum decumbentis allevatione, sed potius cum dispendio virium accidit.

XXI. Ratione loci, unde prodit, alia immediatè provenit à naribus, alia à cerebri & meningum vasis. Item, vel ex una, vel ex ambabus naribus contingit.

XXII. Ratione vasorum, alia fit ex arteriis, alia ex venis dictarum partium. Ex illis sanguis spirituosus & cardiacus: ex his hepaticus & alimentarius emanat.

XXIII. Ratione causarum, alia profecta est à causis internis, alia ab externis, quas jamjam enumerabimus.

XXIV. Ratione modi generationis, alia insequitur symptoma aliquod, v. g. infirmitatem Naturæ & Retentricis, non potentis officia vasorum claudere, & sanguinem in illis detinere: alia morbo succedit, v. g. alicui continui solutionis speciei.

XXV. Ratione quantitatis effluentis sanguinis vel enormis est valdeque impetuosa, quæ vires magnoperè deicit: vel minus talis & remissior. Quodsi solum guttatim stillatimque
sanguis

sanguis effluat, non hemorrhagia, sed ἀπόσταξις, & αἱμαλῆσαξις ἐκ πύλων, ab Hippocrate in Coacis, Stilla sanguinis ex narib. ab interpretibus nuncupatur.

XXVI. Ratione durationis alia durat continuè & diu, v. g. dies 2. 3. & plures: alia brevi cessat: sed per intervalla revertitur. Hinc etiam quaedam periodica dicitur, quae certis quibusdam temporibus redit: quaedam semel tantum hominem adurit, postea latet & quiescit.

XXVII. Sanguinis fluor, qui sanis per nares obtingit, morbosus non est, sed laudabile Naturae bene operantis opus, quo hominem, illum maximè, qui vel sanguine abundat, vel eundem reuenum feruidumque habet, ob hepatis, aut vietus caliditatem, ab imminentibus morbis praeservat.

XXVIII. CAUSAE hemorrhagiae externae sunt atque interna.

XXIX. Externæ sunt caliditas aëris nos ambientis, anni temporis, regionis, aut aestuariorum & stupharum ratione: diurnior sub Sole mora & ambulatio: cibi calidi, acres & mordaces: quales sunt aromatibus valdè conditi, aut sale multo imbuti: adhuc sinapi, raphanus esculentus & rusticanus, Allium, cepa, porrum &c. Vina generosa & potentia. Exercitia corporis valida, saltando, luctando, equitando, remigando, currendo, digladiando, aut alio modo instituta. Iracundia & excandescencia. Talia siquidem sanguinem inflammant, & attenuant, vasaque aperiunt, imò quaedam eorum illa quoque rumpunt. Ad hoc causarum genus externum etiam medicamina acra & mordacia, itemque res erodentes, contundentes, rumpentes, pungentes, & dissecantes, crebra narium frictio, referuntur.

XXX. Internæ sunt ἀναστόμωσις, orificiorum vasorum diductio, sive apertio: διάβρωσις, ἢ ἀναβρωσις, vasorum erosio: διαίρεσις, illorum divisio, seu disruptio: διαρρηξις, tunicarum, quae in vasis sunt, rarefactio. Has enim causas in genere omnis αἰτιολογίας esse Galenus l. 5. meth. med. c. 2. l. de sympt. differ. c. ult. & l. 3. de caus. sympt. c. 2. scribit.

31. Αἰτιολογίας

XXXI. Ἀνασφραγίς verò fit vel à nimia sanguinis copia: vel ab ejusdem fervore & acrimonia: vel à tenuitate & aquositate: vel à retentricis infirmitate, non potentis vasa claudere, quo fit, ut reseratis eorum osculis, sanguis effluat: vel à robore expultricis, gravata à sanguinis copia, aut lacepsita ab ejus prava qualitate. Duabus enim causis concurrentibus, fluxus fit concitator. Vid. c. 6. l. de diff. sympt. Galeni.

XXXII. Διάσπρωσις ortum trahit à rebus erodendi virtute preditis, internis pariter atque externis: cujusmodi sunt illae, quae acres sunt, mordaces, causticae, cathareticae, & escharoticae: uno verbo ab artis proceribus ἀποσπρωγὰς appellatae.

XXXIII. Διάσπρωσις causas habet res pungentes, quae sunt acuminatae: secantes, quae acuta & tenues: contundentes, quae graves & durae: rumpentes, ut sunt vociferatio ingens, violenta spiritus cohibitio, ponderis gravioris gestatio, aut elevatio, cursus admodum concitatus, saltus violentus &c. Haec enim posteriores cause interventu τένσεως, tensionis, vasa dirumpunt, ait Galenus l. 5. meth. med. c. 2.

XXXIV. Διασπρωσις oboritur juxta Galenum l. 5. meth. med. c. 2. propter vasorum tunicas rarefactas, sanguinem attenuatum, & exilium vasculorum oscula dilatata.

XXXV. SIGNA DIAGNOSTICA quod attinet, nihil ijs opus est ad effluxus sanguinis è naribus cognitionem. Patet enim visui. Opus autem est diagnosticis, ut sciatur, per quem modum ἀποσπρωγία facta, & quae illius causa existat.

XXXVI. Hemorrhagia, si per modum ἀνασφραγίσεως facta, cognoscitur, quando sanguis confertim affatimque exit, nec facile sisti potest.

XXXVII. Si διάσπρωσις occasionem dedit, paulatim spatioque temporis accidit, non subito & derepente oboritur.

XXXVIII. Si διάσπρωσις vasorum in causa est, sanguis subito & derepente in majori quantitate, quam in ἀνασφραγίσεως, egreditur.

XXXIX. Si διασπίδης ansam praebeat, sanguis elabitur paucus, tenuis & serosus, qualis nonnunquam in hydropicis, hepaticis, & cachecticis effluere cernitur. Est enim διασπίδης soluta continuitatis species, per quam sanguis aquosus & tenuis per rarefactas vasorum tunicas quasi transcolatur, & sudoris in modum transmittitur,

XL. Si ενασπίδης causata est à copia & redundantia sanguinis, id nobis innotescit ex ijs indicibus, quae plethoram praefaciunt: v. g. ex venarum tumore, rubore faciei, tensione venarum & musculorum, habitu corporis carnosio, ijs denique causis, quae plethorã producere solent: e.g. consueta alicujus vacationis, v. g. uterina, haemorrhoidalis, narium, suppressione, victu liberali & pleno, qui εὐχαλῶ, εὐχρηῶ, & πολυπόφῶ, vita otiosa & sedentaria, etate juvenili, anni tempore vernali &c.

Si excitata à sanguinis fervore, subtilitate & acrimonia quadam, id venamur ex hepatis caliditate, cujus signa Galenus tradit in μικροσέχνη cap 37. aëris fervore, precedente victu calido, motibus validis & crebris, proclivitate ad iram, calidorum medicamentorum usu, balneis, tum siccis, tum humidis, &c.

Si nata ob tenuitatem & aquositatem sanguinis, id nobis sanguis ipse, qui emanat, manifestabit.

Si denique genita ab infirmitate retentricis, tunc caeterae quoque facultates ferè languent, & sanguis interpolatis vicibus effluit, isque non admodum copiosus: praecessit etiam ut plurimum affectus aliquis, qui hepar genusque venosum enervavit.

XLI. Quodsi διασπίδης, malum peperit, haecque profecta sit à rebus externis, v. g. catharticis, escharoticis & causticis, signis non egemus. Causa namque liquet, eamque ager Medico indicare potest. Sin processit à causis internis, humoribus scilicet acris & mordacibus, quales sunt biliosi, porracei, & eruginosi, itemque pituitosi salsi & atrabilarij, aut ichores, serum & pus acsredinis particeps, tunc cognitio peti potest ex colore & consistentia exeuntis materiei, temperatura laborantis, diata antecedente, & signis
torum

totum corpus κακόχουρον fuerit, etiam ex urinis & alvi ege-
stionibus.

XLII. Denique si διασύνδουσι affectum produxit, sanguis
quantitate paucus, stillatim guttatimque, qualitate vero tenuis
& serosus profluere solet.

XLIII. Caterum, an haemorrhagia critica sit, an sympto-
matica, facile apparet. Nam si contingat in morbo aliquo acu-
to, v. g. καίρω, synocho putrida, angina, visceris alicujus phlegmo-
ne, fiatque cum ἐσφορία agri, illumque vel à morbo vindicet, vel
saltem plurimum levet, & symptomatum vehementiam castiget;
cadat insuper in diem criticum, sitque indice aliquo die pramon-
strata, & praecesserint signa κρίσεως per ἀπορροαίαν futura, ut
pote rubedo oculorum, genarum, & narium, visus caligo, aut
μαρμαρυγες, h. e. splendores ante oculos obversantes, lachrymarum
effluxus spontaneus, cephalalgia gravans, atque distendens, arte-
riarum in temporibus pulsatio, narium pruritus, aurium tinni-
tus, desipientia, vigilia, tensio cervicis, pulsus magnus & validus,
dyspnoea, thorace velut angustiore facto, hypochondriorum retra-
ctio, quae ultima signa humores superiora corporis membra pete-
re ostendunt, critica dicenda est, praesertim si & aetas decumben-
tis sit juvenilis, & aetas, aestivaque aëris καλίστασις fuerit pra-
sens, & temperamentum agri calidius, & constitutio ejus pletho-
rica: quemadmodum pulchrè & eleganter haec indicia praesaga
Galenus tum l. 3. de crisib. c. ult. tum etiam l. 1. de cur. rat.
ad Glaucon. cap. 15. proponit. Symptomata autem, cum
evenit statim in principio morbi, nullo cum agri levamine, &
excitata tantum sit ob sanguinis copiam, naturam gravantem,
vel ejusdem caliditatem & acredinem illam irritantem & ad
excretionem stimulantem, vel etiam, quod quandoque in vario-
lis, morbillis, febribusq; malignis & pestilentialibus accidere con-
suevit, ob illius κακόνδεσιν.

XLIV. Emanavit autem sanguis immediate ex venis na-
rium, cum impetuosè non erumpit, neque diu durat, sed facile

refrigerantium & adstringentium usu sistitur. Talia enim naribus admoventur, viribusque integris ad locum pertingunt affectum. Vena autem narium, quia exiles sunt & pauca, non admodum sanguine abundant. Ideoque copiosum reddere sanguinem non possunt. Possunt autem effundere largum vasa interiora, quae cerebri sunt & meningum. Itaque si sanguis emanet in copia, & fluxus diu perseveret, nec compesci facile queat, progressaque sint signa precedenti thesi commemorata, si non omnia, saltem pleraque, statuendum, fluorem à vasis cerebri & meningum suam habuisse originem.

XLV. Cognosces autem sanguinem exiisse ex arterijs, si rutilus sit, clarus, tenuis, spirituosus, qui cum saltu quodam exiliat, spumofus, agrumque valde debilitet. E venis autem effusum esse deprehendes, si fuerit crassior, tenebricosior, impurior, minusque vires infirmet, & hepatis topicis refrigerantibus, adstringentibus, aut divertentibus appositis, fluxus vel cesset, vel saltem remissior evadat.

XLVI. Sequuntur *PROGNOSTICA*.

Enormes & immodicae sanguinis per nares eruptiones spiritus exhauriunt, calorem nativum penè extinguunt, concoctionem ledunt, decolorationem efficiunt, cruditates gignunt, apoplexiam, paralytin, *καχεξία* & hydropem inducunt, totum corpus refrigerant, & jecoris ac ventriculi adferunt debilitatem. Galen. l. 9. meth. med. c. 10. Quod tamen etiam de omnibus alijs immoderatis sanguinis profusionibus intelligendum quae praeter affectus modò recensitos etiam leipothymiam, syncopen, tandemque mortem pariunt.

XLVII. Gordonius in lilio Medic. part. 3. c. 17. & Valescus l. 2. c. 59. scribunt, si fluxus sanguinis narium se extendat ultra libras 4. malus est. Si ultra 8. pessimus. Si usque ad 20. vel 24. lethalis. Addunt insuper, si in fluxu extrema frigeant, si facies appareat pallida, viridis, aut livida, siue plumbea, signum esse itidem *θανάσιμον*. Authores tamen thesi 3. allegati, sanctè

sanctè affirmant, convaluisse agros suos, quib. sanguinis librae 18. 20. & 40. effluxerant. Verùm rara haec sunt & prodigiosa, & ut Averroës loqui solebat, monstris similia: nec nisi robori Natura accepta ferenda. Quib. adnumerari potest rarissimum illud exemplum, quod Savonarola tradit tract. 6. prax. c. 5. rubr. 3. Mulier, ait, gravida, ex familia Zabarellorum Patavinorum oriunda, libras sanguinis circiter 22. è narib. profudit: quae tamen peperit, & unà cum foetu supervixit.

XLVIII. Sanguinis fluxiones, ἀπὸ τοῦ πύθου, Verno potissimum tempore hominibus obtingunt: Hippocrates sect. 3. aphor. 20. Inaudit autem omnes sanguinis profusiones, sive per nares (quae profusiones in specie ἀπορροιαί dicuntur) sive per haemorrhoidas, sive per uterum, sive per vomitum, sive per partem aliam fiant. Quae vacuatio illis praecipuè accidit, qui sanguinem vel ob crasim sanguineam, vel victum plenum ac liberalem coacervarunt: idque eò magis, quia juxta Hippocratis placitum lib. de Nat. hum. sanguis verno tempore dominatur, & quotidie incrementum capit. In causa est summa aëris temperies. Ideoque natura sanguinis quantitate gravata sese exonerare studet. Non solum autem à sanguinis copia, sed etiam ab alijs humoribus sese verno tempore liberare satagit. Hinc Hippocrates eodem in aphorismo aegritudines ex κακωχουία genitas addit: & genitas quidem vel ex κακωχουία melancholica, ut maniam, leprā & melancholiam: vel ex pituitosa, ut gravedines, raucedines, tusses: vel ex biliosa, ut pustulas ulcerosas: vel ex serosa, ut articulorum dolores &c. Solet enim natura hoc tempore profundum corporis expurgare, & fedas superfluitates à partibus interioribus, tanquam nobilioribus, ad exteriores, utpote viliores, amandare: sic distante Galeno in comment. aphorismi allegati. Natura namque Vere ob caloris, sanguinis, & spirituum abundantiam est valida satis atque robusta: via ob teporem aëris sunt patefacta: ipsique humores fusi quasi & liquati, adeoque ad excretionem parati.

XLIX. Eadem φύσις αἵματι & ἐκ πινῶν pueris maximè grandioribus & ad pubertatem accedentibus, qui jam, ut Hippocrates l. 6. epid. sect. 3. loquitur, ἀφροδισιάζου ἀρχοῦναι, & ἰσχυρίζου, Venerem appetere & hircire, h. e. asperiores reddere vocem incipiunt, similitudine à vocis hircinae asperitate desumpta, accidunt, ait idem Hipp. ibid. & aphor. 27. sect. 3. Causa juxta Galenum comm. 3. in l. 6. epid. §. 25. est duplex: Vna, sanguinis abundantia: altera ejusdem caliditas. Ante hanc etatem aderat quidem etiam sanguinis copia, inquit idem, verum haud pariter multus; quoniam tùm magis corpus crescebat. In comm. citati aphor. dicit Galenus, causam esse, quia tempore pubertatis sanguis abundare incipit, non quòd tunc plus de eo generetur, quàm prius, sed quòd tunc minus ex ipso absumatur, propterea quòd & augmentum minus sit in hac etate, quàm priore, nimirum pro corporis proportione. Ob πολυαιμίαν & caliditatem etiam sanguinei & cholericì magis huic malo expositi sunt, quàm phlegmatici & melancholici.

L. Capite dolenti & vehementer laboranti pus, vel aqua, vel αἷμα πῦεν κατὰ τὰς πῖνας, sanguis per nares, aut os, aut aures effluens morbum solvit. Hipp. aphor. 10. l. 6.

Emissaria, per quæ superfluitates capitis excernuntur, sunt duplicia: ordinaria & natura consueta: pori cutis, pericranij, meningum, cerebri, per quos habitiosa evacuantur excrementa, & nares atq; palati foramina, per quæ educuntur humores noxij. Extraordinaria sunt oculi & nares. Hic utrorumque fit mentio. Pus per hæc loca eicitur, suppurata cerebri inflammatione. Aqua & pituita efferuntur, presentibus humoribus crudis. Sanguis per nares effluit, copia ejus naturam gravante. His evacuatis, fieri nequit, quin dolor, inde natus, desinat: quoniam ab ijs, tanquam à suis causis, dependebat. Quodsi spiritus flatulentus dolorem peperit, hisce vacationis generibus dolor non cessat, sed potius discutientibus & extenuantibus remedijs evanescit. Sin dolor ortus sit à bile acri atque mordaci, dolor χολαγωγοῖς, & alterantibus presidijs finitur.

L. I. Mulieri menstruis præter naturam deficientibus, αἷμα ἐκ τῶν πινῶν πύρωσι, sanguinem è naribus profluere, bono est. Hipp. aphor. 33. sect. 5.

Necessarium, inquit Galenus in comm. est, sanguinem mulieribus singulis fluere mensibus. Noxium autem, illum præter naturam retineri. Tolli verò noxam, si per locum alium vacuetur. Vacuari autem posse per loca multa. Sed innoxie per nares. Per alia non item. Per alia tamen exire, detrimentosus esse, per alia minus. Laudare Hippocratem fluxum sanguinis per nares: sed non hanc solam viam approbare. Convenientem esse & illam, qua fit per sedem. Quod licet Hippocrates non expresse dixerit, in more tamen positum habere Galenus scribit, ut uno & singulari posito exemplo, per illud similia alia subintelligat.

L. II. Quibus per febres aures obsurduerunt, ἢ αἷμα ἐκ πινῶν πύρωσι, sanguis è naribus profluens, aut perturbata alvus morbum solvit. Hippocrat. aphor. 60. sect. 4. Simile prognosticum habetur aphor. 28. sect. 4. inquit Galenus in comm. Vbi Hippocrates scriptum reliquit, surditatem fieri, excrementis biliosis retentis, & ad caput recurrentibus: talemque surditatem cessare, alvo turbata, & bile per inferiora dejecta: dummodo non hectica fuerit surditas, sed repente in febribus facta. Bilis quippe, cum meatus auditorios occupaverit, surditatem efficit. Cum verò natura hanc ipsam per alvum evacuarit, rationi consonum est, surditatem evanescere. Allegato verò in aphorismo Hippocrates docet, laxatam alvum, & αἰμορροαγίαν varium surditatem in febribus factam, absque ulla tamen propria & præcipua organi auditorij passione, finire. Nihil autem mirum, subdit Galenus in comm. si cum evacuantur ac transmutantur noxij humores, morbi desinant.

L. III. Vbi spes est ad articulos abscessum iri, abscessu liberat urina multa crassa & alba reddita, qualis in febribus νόσῳδεσι, laboriosis, quarto die quibusdam exire incipit. Quodsi ἐκ τῶν πινῶν αἰμορροαγίῃσι, sanguis etiam ex naribus profluxerit, brevi admodum fit solutio. Hippocrates aph. 74. s. 4. Per

Per abscessus & decubitus febres chronica magna ex parte
judicantur, inquit Galenus l. 3. de cris. c. 3. Aliquando tamen
secus fit, & materia cruda crassaque, ex qua tales febres nascun-
tur, per urina vias ~~expulsiōis~~ evacuatur; unde urina multa crassa
& alba apparet: qualis in febribus laboriosis, non qua vehemen-
tem motum & exercitium secute, sed qua à cruda crassa mate-
ria, etiam nullo progressu exercitio, genita, & in quib. tamen
agri lassitudinem magnam sentiunt, quibusdam die ^{partē} ~~quarta~~
effluere incipit. Non autem quarto solum, subjungit Galenus
in comm. sed etiam alio quovis indice, & decretorio. Exem-
pli enim gratia quarti solum meminit Hippocrates, sed more suo
etiam alios inaudit. In ejusmodi igitur febribus lassitudinariis
expectari quidem solet abscessus, & quidem ad articulos, utpote
membra frigida, laxa, & debilia, alienam materiam facile ad-
mittentia, nec illam amplius ob infirmitatem natura sua propel-
lentia: verum valida natura materiam abscessus quandoque ad
ductus urinarios convertit. Unde fit, ut alio translata abscessus
precaveatur. Quodsi calor febrilis sit intensior, tunc etiam san-
guis è naribus fluit: & quia is materiam ad caput propellit,
eam emunctoria cerebri, parotides, suscipiunt, indeque intum-
escunt.

LIV. *Qua diebus criticis ex ἀπορροια incidit ἀ-
εὐχέσις, perfrigeratio magna, pessima est.* Hippocr. in Co-
acis.

Vt nihil, ait Duretus in comm. paucum in ~~κρίσει~~ est cri-
ticum, sic omne nimium, quantumvis criticum, est periculosum.
Quemadmodum igitur sanguinis substilla prava sunt, idque po-
tissimum die critico, ut omnes judicatoria causa exigua, ita pro-
fusior omnis hemorrhagia debet esse terrificata. Talis autem est
merito, & ut causa, & ut signum. Vt causa, quoniam corpus
reddit frigidissimum, eosque introducit affectus, qui supra re-
censiti. Vt signum, quia retentricis infirmitatem prodit, non po-
tentis venarum oscula claudere, & sanguinem retinere.

L V. Sanguinem ἀνάπαλιw è naribus fluere, malum: ut in
liene magno è dextris, atque similiter in hypochondrijs. Hippocr.
in Coacis.

Sensus aphorismi istius est, omnem ἀμωρράγιαν, quæ fit καὶ
ἔξιν, καὶ ἐπὺ, sive καὶ ἐπυωρίαν, bonam esse: malam contra, quæ
fit ἀνάπαλιw, è diverso, seu contra directum. Τὸ καὶ ἔξιν autem
à natura observatur, si v. g. hepate laborante sanguis fluat è na-
re dextra: τὸ δ' ἀνάπαλιw, si erumpat è nare sinistra. Ita si is in
lienjs phlegmone exeat è nare sinistra, exire καὶ ἔξιν dicitur: sin
è nare dextra prodeat, ἀνάπαλιw. Quam vacuandi rationem
Galenus libr. de curat. per S. M. c. 15. & 16. vehementer lau-
dat, & experientia confirmat, quæ testatum fecit, vacuationes
καὶ ἔξιν factas profuisse semper: hisce verò contrarias nihil ju-
visse: imò interdum etiam nocuisse plurimum, quòd scil. vires
solùm, citra morbi levamen, dejecerit atque exolverit. Sic nam-
que in corpore nostro comparatum est, ut dextra dextris, sinistra
sinistris sint ὁμόφυλα καὶ ἐπυρόσφυλα, consocialia.

Per hypochondria autem hoc loco interpretes, inter quos
Duretus & Hollerius primi, intelligunt hepar. Vox enim hy-
pochondriorum accipitur variè. I. συνεκδοχικῶς pro toto imo
ventre: ut aphor. 73. sect. 4. II. μέλωνικῶς, pro partibus in
hypochondrijs sitis. III. ἀνωνομασικῶς, pro dextro: ut histor.
2. sect. 1. l. 3. epidem. de Hermocrate. IV. κυρίως καὶ ἰδίως, pro
lateralibus regionis epigastricæ partibus, quæ τοῖς χόνδροις, carti-
laginibus notharum costarum adjacent. Hypochondria namque
dicuntur, quòd sint ὑπὸ τῶν χόνδρων, vel quòd τῶ χόνδρῳ ὑποκῆται,
cartilaginibus notharum costarum subjaceant.

LVI Quæ σκολώδεα, vertigines tenebricosa cientur ab
initio, ἀμωρροίη ρινὸς λύει, sanguinis profluvium è naribus sol-
vit. Hippocr. in Coacis. Vertigo, δῖν⊙, affectus est, in quo
omnia circumagi & in orbem verti videntur: cui si tenebra ac-
cedant, adeò ut ager visu privetur, composito nomine σκοδωδιw⊙
vocatur, tenebricosa vertigo. Causa est inordinata spiritus fla-
tuosi

C

tuosi

tuosi crudique motio, qui vel in capite primum genitus est, vel
 sursum ex infernis partibus, v. g. ventriculo, liene, intestinis,
 utero &c. ascendit. Genitus autem in capite est, vel ex san-
 guine inibi redundante, vel ex cacochymia privata. Solvit igi-
 tur αιμορραγία narium vertiginem plethoricam, non cacochymon.
 Hanc enim purgatio tollit. Et solvit plethoricam, quae non cum
 inflammatione, aut intemperie capitis calida conjuncta. Hisce
 enim affectibus praesentibus, vertigo persistit, non obstante san-
 guinis e naribus eruptione. Dicit autem Hippocrates ἐξ ἀρχῆς
 circa initia, scil. acutorum morborum sine ulla κρίσεως signifi-
 catione. Nulla enim κρίσις in principio morborum fieri solet, inquit
 Galenus l. 3. de cris. c. 3. 6. & 10. quia tunc temporis morbifi-
 ca materia adhuc est cruda, multoque minus ab utilibus humo-
 ribus separata, & ad excretionem disposita. Κρίσις enim bonam
 & salutarem praecedunt πρῶτον ἢ διάκρισις, concoctio & se-
 cretio heterogeneorum: sequitur ἐκκρίσις ipsa, quam ταρᾶξή κρι-
 τικὴν antegressa: absoluto κρίσεως ἀκτῷ, ἢ ἐνφορῆα, bona agrotantis
 tolerantia insequitur, quod Galenus in opere critico saepe in-
 culcat.

LVII. Quib. in febr. sanguinis undecunque copia eru-
 perit, convalescentibus ventres humectantur: Hippocr. aphor.
 27. sect. 4.

Similis aphorismus habetur apud eundem in Coacis, quib.
 αιμορραγία profusior est, labentibus inde diebus alvi πονηρέως
 labefactantur, nisi urina cocta reddatur.

Hoc symptoma commune quidem est cujuscunque sanguinis
 profluvij largioris, ex quacunque parte id fiat, non male tamen
 ad narium haemorrhagiam in specie accommodari potest. Causa
 est, inquit Galenus comm. 4. aphor. 27. quia ob ejusmodi αι-
 μορραγίας calor admodum debilitatur, ex quo viscera concoctioni
 & distributioni alimenti dicata neque bene concoquere, neque
 cibum in sanguinem convertere, neque in corpus distribuere
 queunt. Ideoque necesse est, alvos fieri humidiores, donec progressu
 tempo-

temporis natura vires suas recuperaverit: quod factum judicatur, si urina cocta apparuerit.

LVIII. Profusa narium αιμορροαγια violenter suppressa, σπασμὸν nonnunquam parit. Sanat autem sanguinis detractio per phlebotomiam. Hippocr. in Coacis.

Sunt quidam ita meticulosi, ut lethale arbitrentur, si sanguis, etiam modicè, è naribus emanet. Putant enim, vita thesaurum effluere non debere. Proinde sistere statim αιμορροαγιαν satagunt, non praesidiis revulsoris, sed refrigerantibus, adstringentibus, & repellentibus topicis, naribus, fronti, temporibus, & collo admotis. Idque eò magis, quò sanguis majori cum impetu erumpit. Verùm Hippocrates hoc dissuadet, innuens, si narium sanguis βίη vi sistatur, tùm symptomata alia, tùm etiam convulsionem supervenire. Ut enim hemorrhoidibus longo tempore consuetis, si inconsideratè supprimantur, secundum Hippocratem aph. 12. sect. 6. periculum tabis, aut hydropis, & secundum alios melancholia, scirrhi, canceri & lepræ impendet, ita haemorrhagia narium in tempestivè cohibita, convulsio, epilepsia &c. succedunt. Hinc illud Hippocratis in Coacis, qui statis temporibus sanguinem fundunt, si non profuderint, epileptici fiunt. Hac quippe vacuatio in sanis, qui sanguine abundant, saepè natura opus est. In acutis morbis non raro critica est. At quae judicantur, sistenda sunt, non impedienda, ait idem aphor. 20. sect. 1. Subdit autem Hippocrates, αιμορροαγιαν ejusmodi phlebotomia sistendam esse, siquidem eam sistere necesse fuerit. Nam vena sectio sanguinem retrahit, & à naribus avertit, si nimirum hoc in casu humeraria brachij καὶ ἰξῶν incidatur.

LIX. Substilla sanguinis, (αι σαξίς) mala sunt, idq; cum aliàs, tùm si bis fiant, & redeant. Hippocr. in Coacis.

Substilla sanguinis sunt, quib. ille guttatim, pigro lapsu, & parèè fluit. At òs peccans materia tota non evacuat: & propterea recidivam juxta aphor. 12. sect. 1. patiuntur aegri, ob τὰ ἐγκάλασμα πονόμενα, ea, quae relinquuntur. Galenus ad aph. 47.

sect. 2. l. 1. prorrh. hoc habet edictum, τῶν κρισίμων ἔδειν σμικρὸν εἶναι προσήκει, eorum, quæ critica sunt, nihil paucum esse convenit. Rationem hanc subjungit, quia quod paucum excernitur, aut malignos & multos humores naturæ dominatu regi non posse, aut summam naturæ fatifcentis exolutionem denunciat. Idem judicium fert de sudatiunculis in prognost. quas, si miliares fuerint, & circa cervicem duntaxat & claviculas apparuerint, pessimas proclamat. Idem sentit Hippocrates aphor. 47. sect. 2. l. 1. prorrh. de vomitu exiguo, quem κακὸν pronunciat. Et in Coacis τὰς ἐλαχίστας εἰξίας, perexigua sanguinis stillicidia, κακὰς similiter judicat: idque l. 1. epidem. sect. 3. Philisci, Epaminonis, & Sileni exemplo confirmat, qui interierunt, quòd pusillum quid è naribus stillaverit: σμικρὸν, αἷτ, ἀπὸ ῥινῶν ἔσαξεν, καὶ ἀπέθανον. Addit autem Hippocrates, substilla sanguinis mala esse, tum aliàs, tum si aliquoties redeant. Nam quò sapius natura irritatur, & irrita tamen inanissq; ejus est conatus, eò pejus ager se habere solet.

LX. Sanguinis è naribus fluxus die septimo, nono, & decimo quarto febres ut plurimum solvit. Hippocr. in Coacis.

Febres scilicet acutas atque ardentes, quales sunt synocha, & quæ in specie καύσοι appellantur. Criticus enim est ille fluxus: peccans materia educitur per ἑμφύρονα χροία, convenientia loca, cessatque febrilis calor, & alia febris symptomata disparent. Idem tamen narium fluxus salutaris quoque est in phrenitide, angina, pleuritide, peripneumonia, phlegmone hepatis ac lienis; Avicenna eundem etiam probat in variolis & morbillis. Brevis, omnis sanguineus narium fluxus bonus est, qui fit cum alleviatione patientis. Signum quippe est, causam tolli, si non totaliter, saltem aliqua ex parte.

LXI. Superest CVRATIO, quæ pro varietate causarum variat. Respicendum autem hic est I. ad morbum, unde fluor manat. II. ad sanguinem ipsum, qui effluit. III. ad symptomata, nimirum ad facultatem retentricem & fluxum sanguinis.

62. Mor-

LXII. Morbus vasorum, unde fluxus prodit, est, sicuti supra dictum, vel eorum ἀνασώματος, vel διαίσεως, vel διάβρωσις, ἢ ἀνάβρωσις, vel διαπύκνωσις.

LXIII. Sanguis peccat aut in quantitate, cum nimis abundat: aut in qualitate, quando vel calidior & acrior, vel tenuior & aquosior existit.

LXIV. Retentrix vasorum virtus aliquando adeo debilis est atque infirma, ut neque vasa claudere, neque sanguinem retinere valeat.

LXV. Fluxus quidem sanguinis symptoma tantum est, sicut & infirmitas vasorum, ac propterea ambo neque curatione, neque preservatione opus habet, cum remotis causis ultrò desinant. Quia tamen fluxus nonnunquam vehementer urget, naturamque causa induit, ejusque, ut Galenus de omnibus in universum symptomatibus urgentioribus lib. 12. meth. med. cap. 1. monet, vel vires nimio opere prosternentis, vel novum morbum producentis, vel presentem affectum foventis, idcirco ea cura illi debetur, qua causis adhiberi consuevit.

LXVI. Quapropter, si ἀμωππρωγία facta sit per ἀνασώμασιν, orificia vasorum claudenda sunt. Si per διαίσεσιν, vasa glutinanda. Si per διάβρωσιν, itidem consolidanda. Si per διαπύκνωσιν, condensanda. Perpetuò enim contraria contrariis opponenda.

LXVII. Si sanguis peccet in quantitate, minuendus. Si in qualitate acris, & calida, contemperandus & refrigerandus. Si in tenui & aquosa, incrassandus. In utroque etiam vitio purgandum, bilis & feri causa.

LXVIII. Si virtus retentrix debilis sit, roboranda venit.

LXIX. Fluxus ipse sanguinis coercendus & compescendus, siquidem sit enormior, viresque deiciat, aut symptomaticus, nihil agrum juvans, sed tantum illum enervans.

LXX. Sinendus autem, si fuerit criticus, aut naturæ opus in sanis.

LXXI. Hæc est legitima & methodica ἀπορροιαῖς cura, quæ indicationibus nititur, nobisque iuvantia præsidia præstare facit. Reliquum est, ut ad præsidiorum materias descendamus, & quib. remedijs dictis indicationibus satisfaciendum sit, significemus. Depromemus verò illas ex monumentis artis Antesignanorum, Galeni l. 3. de compos. med. κ τὸ π. c. ult. Pauli l. 3. c. 24. Aëtij tetr. 2. serm. 2. c. 94. Tralliani l. 3. c. 8. Avicennæ l. 3. Can. fen. 5. tract. 1. c. 9. Mesuæ l. 2. suum. 7. c. 2. & Serapionis tract. 2. cap. de sang. flux. è narib. ex quib. pleraque omnia, quæ ad pharmaciã spectant, superiorum ætatum Practici, Gordonius, Valescus, Nicol. Florentinus, Guainerius, Gattinaria & Matth. de Gradib. hauserunt.

LXXII. Vt autem simus breviores, nihil peculiariter dicemus de ijs remedijs, quæ vasorum oscula claudunt, quæ vasa consolidant, quæque eadem condensant: quoniam sub illis comprehenduntur, quæ fluxum sanguinis coercunt: cuius generis sunt adstringentia, refrigerantia & emplastica. Nil quoque in medium proferemus in specie de roborantibus retentricem virtutem, quoniam sub adstringentibus inaudiuntur. Considerabimus ea duntaxat, quæ fluori sanguinis medelam adferunt.

LXXIII. Adferunt autem primùm illa, quæ sanguinem divertunt, derivant & intercipiunt, ne ad nares accurrat. Deinde quæ fluxum ejus sistunt.

LXXIV. Divertunt & à naribus avertunt sequentia. Primùm Venæ sectio καὶ ἔξω in humeraria brachij mature instituta, priusquam vires deficiant: & quidem vicib. iteratis, brevi interposito tempore, ter quaterque in die: ut Natura via alia monstretur, eidemque illa paulatim assuescat: dummodò laborantis vires ita adhuc sint comparatæ, ut sanguinis detractionem tolerare valeant.

Deinde Cucurbitulæ magnæ, sine scarificatione hypochondriis affixæ, dextro scil. vel sinistro, aut etiam utrique, pro ut ex mare dextra, sinistra, vel utraq. sanguis fluxerit. Affixæ etiam cervici,

vici, interscapulio, & dorso, cum scarificatione: itemque sub mam-
mis in sexu fœminino.

Tertiò Apertio venarum hæmorrhoidalium, præsertim si
sanguinis fluor lienis causa sit obortus.

Quartò Ligaturæ dolorificæ brachiorum & pedum.

Quintò Frictiones extremorum deorsum factæ: & duriores
quidem, ut partes inde rubeant, & sanguis à capite avocetur.

Sextò Sanguisugarum applicatio post aures.

Septimò Lavacra calida artuum inferiorum consulunt mul-
ti: verùm suspecta videntur propterea, quòd elatis ex aqua calen-
te vaporibus, tum partes cetera, tum vel imprimis etiam caput
incalescat, & sanguis postea majori in quantitate erumpat.

Octavò Purgantia, si non solùm sanguis abundet, sed ple-
thora etiam adjuncta sit κακοχυμία, biliosa præsertim & serosa.
Ea enim & vacuant, & revellunt. Usurpanda autem mitiora:
v. g. Manna, Tamarindi, Myrobalani citrina & chebula, Rhabar-
barum, Cassia fistularis, Syrup. rosar. & violar. solut. simplex, Sy-
rup. de cichor. cum rhabarb. Syrup. è florib. persicor. Syr. è rha-
barb. &c. In κακοχυμία vero phlegmatica Φλεγμαγωγά: ut po-
te agaricum, myrobalani chebula, mel rosat. sol. Syr. de agar. &
diacnicu. In melancholica μελαναγωγά: nimirum sena, epythy-
mum, myrobalani Indæ, decoct. & syr. è sena. Suadent quidam
Præctici, aquam frigidam per intervalla in faciem egri incogi-
tantis conjiciendam esse, ut illo perterrefacto sanguis ad interiora
revocetur.

LXXV. Revulsionum præsidys usurpatis, ad ea acceden-
dum remedia, quæ sanguinis eruptionem sistunt.

LXXVI. Sunt autem interna atque externa: manifesta
vel occulta qualitate agentia. Manifesta sanguinem compefcunt,
vel refrigerando, vel incrassando, vel adstringendo, vel infarciendo
& obstruendo, vel urendo. Occulta, vel narcotica, vel alia,
quæ verbis exprimi non potest. Vtriusque generis recessibimus
plurima, ut in conspectu Artis Studiosi habeant, quæ à Pragmaticis
passim literarum monumentis sunt consignata. 77. Ex-

LXXVII. Externa, quae aliàs topica vocantur, varijs modis varijsque partibus admoventur: v.g. naribus, fronti, faciei, temporibus, cervici, collo toti, axillis, hypochondrijs, sub quibus hepar & lien comprehenduntur, testiculis, volis manuum, plantis pedum, carpis, & mammis in faeminis.

LXXVIII. Intrinsecus usurpantur refrigerantia, incrasantia & adstringentia: duo priora sanguinis gratia, qui refrigeratus & crassior factus ad motum fit pigrior atque ignavior. Posteriora verò vasorum causa, quorum orificia sunt claudenda.

LXXIX. Sanguinem refrigerant ex aquis, aq. lactuca, violarum, solani, papaveris albi, papaveris rubri, sive erratici, nymphae, sempervivi, alsines, endivia, omnium florum, roris Majoralis &c.

Ex Julepis, jul. rosar. & violar.

Ex Syrupis, syr. violarum, syrup. papaverin. syr. nymphae, syr. endivia, diacodium.

Ex Conditis, lactuca Hispan. condita, rad. cichorii condita.

Ex Conservis, conser. violar. conser. nymphae.

Ex hac materia & julepi, & electuaria confici solent.

LXXX. Vasa constringunt & occludunt ex Aquis, aq. rosar. plantaginis, centinodia, hippuridis, bursa pastoris, portulaca, acetosa, folior. quercus, tormentilla, anserina, cydoniorum, cupular. glandium, fragorum, fragariae, millefolij.

Ex Syrupis, syr. acetositat. citri, granator. acidor. ex succo limoniorum, auranciorum, acetosa, berberum, ribium, uva immatura, sive agreste, cydoniorum, fragorum, syrup. portulac. rosar. siccar. rubi Idei, corallinus, myrthinus.

Ex Conservis, Conser. acetosit. citri, acetosa, rosar. rubrar. acetosella.

Ex Conditis, berberes condit. ribesia condit. cynosbat. condit. myrobalan. condit. pyra moschatell. condit. cydonia condit.

Ex Trochiscis, troch. de rosas, Ramich, de spodio, de terra sigillat. de carabe, de berberib. de camphora. Quae materia similiter in julepos & electuaria aptari potest. si. Hisce

LXXXI. Hisce internis medicamentis adduntur, quæ
vi narcotica sanguinis fluorem sedant, non tamen nisi summa
urgente necessitate, nec nisi viribus adhuc valentibus assumen-
da. Talia sunt, Laudanum opiatum Paracelsi, Reques Nicolai,
Philonium Persicum & Romanum, Opium ipsum, Micleta Nic.
Ad interna ischema, sed occulto modo agentia, referri quoque
potest Spermola Crollij compositum, quantitate avellanae cum
aqua plantaginis haustum. Ait enim, remedium esse ad quam-
vis sistendam αιποπρῳαγίαν efficacissimum.

LXXXII. Extrinsecus applicantur ex ordine quidem
eorum, quæ manifestis operantur qualitatibus, nimirum refrige-
rando, incrassando, reperiendo, adstringendo, infarciendo, uren-
do, sequentia, quæ partibus thesi 77. enumeratis adhibentur.

Aquæ jam proposita, aut per se, aut cum succis & pulveri-
bus mixta.

Acetum rosarum, papaveris errat. & rubi Idæi, cum spon-
gia naribus oblatum. Vapor item naribus exceptus, qui exurgit
ex aceto candenti lapidi molaris infuso. Hoc enim remedio
Aëtius laudem consecutus est non exigua.

Oxycratum, sive Posca, quæ mixtura est ex aqua simpl.
& aceto.

Oxyrrhodinum, quod compositio est ex olei rosar. partibus
tribus, & quarta aceti. Additur à quibusdam etiam aq. Rosar.

Succi plantarum refrigerantium, adstringentium & incras-
santium, ex quib. aquæ recensita fuerunt elicita. Item hypocisthi-
dos & pruneolorum sylvestr. qui est Germanorum Acacia.

Pulveres, qui naribus insufflantur per cannulam.

Turundæ, quæ iisdem infiguntur.

Frontalia, quæ fronti temporibusque imponuntur, cum lin-
teaminibus, spongia, xylo, stuppa.

Epicarpia, quæ carpis, sive brachialibus admoventur.

Errhina, sive nasalialia, quæ naribus hauriuntur.

Epithemata, quæ hepatis applicantur, aut testibus circumli-
gantur.

D

Embro-

Embrogchæ ad futuram coronalem factæ:

Emplastra & Cataplasmata ex pulverib. farinis, aceto, aut oleis adstringentibus concinnata, frontique admota.

Anacollemata, h. e. talia remedia, quæ naso, fronti, aut cervici quasi agglutinantur.

Fumi & vapores, qui naribus excipiuntur.

Periammata, quæ collo appensa gestantur.

LXXIII. Materia verò talium pharmacorum præter aquas, aceta, & succos jam dictos, sunt, pulvis rad. tormentill, rad. bistort. rad. pentaphyll. rad. consolid. major. baccar. myrthi, nuc. cupressi, rosar. rubrar. balaustior. malicorij, gallarum, croci Martis, sanguin. Dracon. boli Armen. Terr. sigillat. terra Lemnia, aloëpatice, thuris, myrrhæ, mastichis, succini, lithargyri, cornu cerv. usti, santali rubri, rubrica fabrilis, farina volatilis, farina fabarum, farina lentium, farina triticea, farina amyli, gummi Arabic. gumm. Tragacanth. gypsum &c. qui pulveres cum ovi albumine, aut commemoratis succis & acetis mutari possunt in multas formulas.

LXXIV. Caustica topica, sive actualiter, sive potentialiter urant, sanguinis quidem fluorem arcent, crustas, tanquam opercula, inducendo, ut chalcitis, calx viva, vitriolum, as. & alumen ustum, colcothar: verum cum terribilia plerisque sint, præsertim ferramenta candentia, & etiam dolorifica, imò & propter vicinitatem oculorum & cerebri non satis tuta, rarò a Practicis adhibentur, nec nisi in casu deplorato. Huc accedit & ista ratio, quoniam crusta, quam induxerunt, sponte, aut voluntate nostra ablata, fluxus redire solet.

LXXV. Ex iis, quæ occulta qualitate sanguinem cohibent, forisque applicantur, sunt, fungus ille orbicularis, quem ridiculè crepitum lupi, nostri barbitonsores Bubenfist appellunt; lapis hematites, corallia rubra, & tinctura illorum, jaspis, cornalinus, magnes, usnea, sive muscus ille, qui cranij hominum defunctorum innascitur, siccus, & pulverisatus, naribusq;

ribusque inflatus, aut sindoni rubra inditus, & de collo sus-
pensus.

Stercus porcinum, aut asininum in nares inscio agro intru-
sus: aut succus ex illo expressus & cum bolo Armena subactus.

Spongia in forti aceto macerata: post arefacta & in fictili
cremata.

Cinis charta combusta.

Bombax, sive Gossypium combustum.

Pili leporini, praesertim albi, ustione in cineres redacti.

Cinis asellorum, qui sub hydriis, seu vasis aquariis stabu-
lantur.

Sanguis columbarum, perdicum, turdorum, & turturum, si-
militer igni in cineres conversus.

Lapis carpionum in ore detentus.

Succus urticae majoris, porri, menthae, ocymi majoris cum
camphora.

Herba anagallidis maris, qua phaenicei est coloris, in mani-
bus gestata, ut & bellidis majoris.

Tela araneorum mixta cum alijs.

Cochleæ cum domicilijs suis cremata, & cum susco, aut aqua
aliqua, aut cum ovi albumine mixta, & naribus, fronti, tempori-
busque adhibita.

Folia & cortex salicis, praecipueque lanugo & flores naribus
inserti: aut redacti in pollinem, & calamo in nares efflati.

Bufo palo transfixus, exiccatus, in pulverem tritus, linteo-
lo, vel sindoni involutus, inque manu, donec incalescat, detentus.

Aqua ex spermate ranarum veruo tempore destillata, & cum
linteis admota fronti, temporibus, naribus. Miscetur & cum
camphora & saccharo Saturni, colloque cum imbuto linteamine
alligatur.

Semina cardui benedicti naso admota.

Testa, sive putamina ovorum, in forti aceto macerata, donec
mollescant, post siccata, & in pulverem redacta,

Radix Peonia lingua subdita.

*Radix melanthij masticata, naribus inserta, & de collo sus-
spensa.*

*Radix cichorij albi circa festum D. Jacobi collecta, & den-
tibus contrita.*

LXXXVI. *Alia remedia, utpote verba, preces &
incantamenta carminum, quorum Plinius l. 28, c. 2. meminit, &
aliquot illorum formulas Nicolaus Florentinus serm. 3, tract.
7. c. 2. proponit, silentio involvimus. Sunt enim partim supersti-
tiosa, partim impia. Ideoque etiam Plinius, tametsi aliquid ver-
bis & characteribus in medicatione morborum tribuere videa-
tur, & carmina contra ambusta, aliaque agritudinum genera ex-
tare perhibeat, ingentem tamen obstare verecundiam in tanta
animorum varietate scribit, quo minus illa divulgentur. Proin-
permittit, ut ijs, pro ut libitum cuique fuerit, opinetur.*

LXXXVII. *DIAETAM quod spectat (actum namque
hactenus de cheirurgicis & pharmaceuticis praesidiis) opera dan-
da, ut laborans decumbat in conclave nec calido nimis, nec etiam
valde frigido. Is enim fluxum sanguineum auget: hoc vero pra-
ecociter illum sistit. Prospiciendum illi de cibo refrigerante, ad-
stringente & incrassante: propinandi potus utidem refrigerandi
constringendique facultate praediti: a salsis, aromatizatis, acris-
que ferculis abstinendum: vinum meracum vitandum: ὀλιγοπό-
ρον, siquidem sit adultior, debilior, & vino assuetus, concedendum:
aut hujus loco decocta, emulsiones & Julepi parandi: animo &
corpore quiescendum: in dorsum reclinato capite versus postero-
ra minimè decumbendum, multoque minus hac situatione corpo-
ris somnus capiendus. Metus enim est, ne sanguis retrocedat, &
partim in gulam, partim verò in asperam arteriam & fistulas
pulmonum defluat, hominemque suffocando è medio tollat.*

LXXXVIII. *Cibi convenientes sunt isti, brodia altera-
ta, pulmenta ex amylo, hordeo, oryza, milio &c. confecta: gelati-
nae, carnes gallinarum, caporum, agnorum, hædorum, vitulorum,
& ver-*

& vervecum, aceto, succo limonum, citriorum, auranciorum, granatorum acidorum, agresta condita: poma, pyra, pruna, cydonia & cerasia cocta: pisces saxatiles: denique & olera, utpote spinachia, beta, lactuca, endivia, portulaca, acetosa & c. Avicenna scribit, cerebella gallinarum, multum & saepe comesta, singularem esse & cibum, & medicinam in sanguinis fluore.

LXXXIX. Potus sit vinum, quale thesi 87. descriptum: aut rubellum, sed dilutum aqua. Emulsio amygdalar. dulc. & 4. sem. frig. major. cum decocto hordei, passular. flor. cordialium, glycyrrhiz. & sem. coriandri preparat. Decoctum ipsum per se, sine amygdalis, sumptum. Julepi ex aquis supra enumeratis & syrupis acidulis confecti: quales præ ceteris sunt syr. acetos. citri, auranciorum, limonum, granator. acidor. acetosa, acetosella, ribium, berberum. & c. Aqua chalybeata, itemque cum mastiche, aut ligno lentiscino cocta. Decoctum rad. tormentilla, in quo conserva rosar. rubrar. antiqua dissoluta, postea colatum.



COROLLARIA.

I.

Quæ hæmorrhagia frequentior, eâne, quæ ex venis, an quæ ex arteriis contingit? Rarior esse solet arteriarum. Etsi enim sanguis arteriosus calidior sit, spirituosior & subtilior venoso, tamen cum arteriæ ob crassitiem, duritiem, & firmitatem substantiæ suæ, non tam facile aperiantur, rumpantur, erodantur, & vulnerentur, ac vena, quarum tunica est tenuis, simplex, & mollis, idcirco fluxus arteriosi sanguinis spontaneus minus frequens est, quàm venosi. Vid. de hac ratione Galenum in genere loquentem lib. 3. de sympt. caus. cap. 2. Secus se res habet, si membra interiora & exteriora à causa aliqua externa rumpantur,

D 3.

tur,

tur, dissecentur, perforentur, contundantur, aut erodantur. Tunc enim uterque sanguis effluit, quia uno eodemque tempore vasa venosi & arteriosi sanguinis continui solutionem patiuntur.

II.

Cur sanguis arteriosus acrius sistatur, quam venosus? Causa sunt duae. Vna ex parte contenti sanguinis: altera ex parte continentis vasis. Nam sanguis arteriosus tenuis est, fervidus, spirituosus, exilitq. veluti cum saltu, ac ob id aegrè compescitur. Venosus contrario modo se habet, ac ob id sistitur facilius. Arteria, cum sint in perpetuo motu diastoles & systoles, sitque tunica earum sicca & dura, propterea neque facile clauduntur, neque promptè consolidantur. Citiùs contra vena, quae quiescunt, & minùs sicca sunt ac dura.

III.

Possinè sanguis naturali ex causa effluere per spiracula cutis, ut quasi sudor appareat sanguineus? Potest: idque testatum fecit experientia, & rationes quoque sunt in promptu. Nam sudorem quendam serosum sanguineum, per poros cutis undiquaque erumpentem in Studioso quodam vidit Guil. Rondeletius l. de dignosc. morb. c. II. Fernelius scribit l. 6. w adol. cap. 4. se sanguinem ab extremis venis, quae in cutem desinunt, multis è locis effusum observasse. Aristoteles l. 3. part. an. c. 5. & l. 3. hist. an. c. 19. refert, aliquos interdum sanguineum sudasse sudorem. Idem referunt Theophrastus l. de sudorib. ex sententia Monæ Medici, & Galenus l. de util. respir. qui tamen inter rà vòda illius refertur. Rationes hujus excretionis dari possunt tres. I. est sanguinis tenuitas & aquositas, à debili calore genitus. II. Raritas & laxitas cutis, pororumq. ejus aperio. III. Facultatis retentricis venarum & hepatis infirmitas.

IV.

Cur utplurimùm sanguis, qui exit per nares, subtilior sit puriorque eo, qui effluit per alia loca, ut per uterum, per venas sedis, per meatus urinæ &c. ? Quia qui à vò repit, levior

levior esse tenetur, & consequenter etiam subtilior ac purior.
Qui natura fertur, gravior est, & propterea crassior, impuriorque:
qualis est melancholicus & phlegmaticus.

V.

Quam ob causam homini solummodo ex omni animantium numero sanguis è naribus fluat? Causam dat Aristoteles problem. 2. sect. 10. eamque esse dicit magnitudinem & humiditatem cerebri humani. Tale enim plurimum excrementi serosi & aquei producit, quod postea sanguini in venis permiscetur, eumque vitiat & tenuiorem reddit. Hinc venae distenta ἀνασώμωσι patiuntur. Osculis autem earum adaperitis, sanguis effluit. Brutis cerebrum longè minus est, minusque humidum: nec ita facile vapores ascendentes excipit, ut humanum, cum homo erectus incedat, bruta autem prona terram spectent.

VI.

Num sanguinis è naribus profluvium pro symptomate in genere excretorum, an pro opere Naturæ habendum? Symptoma est, si in principio statim affectus, aut ob retentricis infirmitatem sit obortum, nullo cum patientis levamine. Opus autem Naturæ est, tum in sanis, tum in aegris, si fiat ἐν καύρῳ, ut Galenus in fine l. de diff. symptom. loquitur, h. e. tempestivè. Ἐν καύρῳ autem fieri excretiones ab eodem ibidem dicuntur, si τὰ λυτῶν ἴα, ea, quæ molesta sunt, excernantur: sique vacuatio facile toleretur, & homo à molestia, qua premebatur, liberetur, vel saltem haud mediocriter levetur. Ejusmodi actiones idem Galenus eodem in loco singulari Naturæ providentia fieri dicit, & indicia esse scribit ejusdem roboris ac virtutis, à redundantia, qua veluti sarcina, premebatur, sese exonerare studentis.

VII.

Nunquid hæmorrhagia mortem homini inferre queat? Omnino, si sit immodica, & sisti nequeat. Causa fuerunt allata thes. 2. Et Aristoteles subscribit l. 5. hist. an. c. 19. Si, inquit, multum

multum sanguinis effluat, anima deficit, h. e. leipothymia & Syncope oboritur. Si nimium, vita interit. Perisse autem quosdam ex hemorrhagia narium enormi, historicorum monumenta docent. Hoc enim affectionis genere Adrianum Imperatorem, Attilam Hunnorum Regem, & Alexandrum, Basily Macedonis filium, extinctum esse memorant. Offerunt se quoque exempla nostro tempore non pauca.


VIII.

Quæ sint excretionis præter naturam differentia? Galenus l. de symptom. differ. c. ultimo tres recenset. Nam quæ excernuntur, vel peccant substantia, vel qualitate, vel quantitate. Nos addere possumus quartam, quando excretio fit per loca insolita & natura inusitata. Excretio substantiæ ratione præter naturam dicitur dupliciter. I. quando corpora peregrina, animata & animæ expertia, quorum plurimas species Schenckius l. 3. observat, 73. & seqq. collegit, evacuantur. II. cum res quæpiam, quæ ipsa quidem naturalis est, sed quæ retineri potius, quam excerni debebat, exit: quo in numero sanguis est, si intempestivè expellatur. Excretio ratione loci præter naturam dicitur, cum v. g. alvi feces per os, urina per umbilicum, aut perineum, menstruum per nares, os, mammas, aures, oculos &c. egreditur. Excretio ratione qualitatis præter naturam perhibetur, si excreta vel in primis, vel in secundis qualitatibus à naturali statu recesserunt. Excretio ratione quantitatis præter naturam judicatur, cum contenta vel immodicè effluunt, vel parcius prodeunt, vel varius, quam deceat, evacuantur.

F I N I S.

cf. 133

[Faint, illegible text]



Cf 133

(x 260 9941)

VD17

Aus dem Nachlasse
des
Geh. M.-R. Prof. Dr. Ernst Blasius
der Universitäts-Bibliothek
geschenkt
von seinem Sohne
Dr. med. Heinrich Blasius in Berlin.



Inches

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

ATIO

HAGIA
M.

Argentinesium

SEBIZIO,
DRE AC PRO-
IO, COMITE
& Reipubl.

WILVISHEIMIO,
TENS I.

cembr. 13.

RATI,
WELPERI.

LIX.